

ad locum Vignani L. 34. §. 4

I. N. J.

X 212235A

Indultu

Magnifici Jctorum Ordinis

in Academia Lipsiensi

ad

Ventilationem publicam

DISPUTATIONUM XXV.
JURIDICARUM

Quibus

Vir Excellentissimus

DN. JOACHIMUS SCHNOBELIUS &c.

potiores Pandectarum Controversias

Complexus est,

cupidam legum Juventutem

peramanter invitat

LÜDERUS MENCKE, PHIL. & J. U. D.

Literis JOHANNIS GEORGI.



aa. 39.



B. C. D.



Vamvis pessimè de jurisprudentia mercantur illi, qui in meris verborum corticibus hærentes rerum nucleos intactos relinquunt, evolutaque vocabuli alicujus homonymia tanquam in portu collocati subsistunt, dignissimiq; sint quos ob parcissimam in profuturis operam cum Aristoph. in Vesp. *Κυμνοπρισοκαρδαμογλύφας* (a.) appellemus; non tamen infructuosum laborem suscipere videntur, qui verborum ministerio ad tollendam inter leges discordiam ita utuntur, ut Theoriæ cum Praxi, matri cum filia, optimè conveniat sanctasq; Leges deserat violenta Interpretum manus, quæ corrigendo suæ auctoritati leges subjiciunt & dum Legislatoriam sibi sumunt, quæsitam auctoritatem perdunt. (b) Ad hanc corrigendi licentiam progressi sunt pleriq; Doctorum circa dissolvendum Ulpiani nodum in *l. 34. §. 4. ff. de Jurejur. Qui jusjurandum defert, prior de calumnia debet jurare, si hoc exigatur: deinde sic ei jurabitur. Hoc jusjurandum de Calumnia neque Patrono, neque Parentibus remittitur.* Sed quò jure Dd. vulgò nodum hunc Gordium cum Alexandro secare quam solvere maluerint, & pro neque æque Patrono atque Parentibus legendum esse censuerint, excutiamus aliquanto plenius. Status autem controversiæ hic est. Parens vel Patronus, qui in litem cum filio vel liberto inciderat, filio vel liberto juramentum litis decisorium detulerat, quo facto filius vel libertus à Parente vel Patrono juramentum calumniæ exigebat; Unde quærebatur an Juramentum Calumniæ à Parente vel Patrono exactum remittendum esset? quod in dicta lege videri poterat negari, rectius verò affirmari in *l. 8. §. 5 ff. Qui satisd. cog. l. 16. ff. de jurej. l. 13. §. 14. ff. de Novi oper. nunc. l. 7. §. 3 ff. de obsequ. par & patr.* quoniam juramenti calumniæ exsolutio honorem & reverentiam erga Parentes ac Patronos testandam violat. *l. 1. l. 2. l. 7. §. 4. l. 9. ff. eod.* Sed, salvo rectius sentientium judiciò, salvis etiam verbis res salva est, si Justiniani monitum (c.) secuti diversitatis rationem, quæ ob Homonymiam vocabuli remittore subest, investigemus. Nam remitti dicitur juramentum calumniæ vel à lege vel à parte. A lege cum illius & exactionem & præstationem lex improbat, quò significatu jusjurandum de Calumnia Parentibus & Patronis in *d. l. 8. §. 5.* remitti, & per Vasallum à Feudi Domino non exigi dicitur *2. Feud. 33. §. 1.*

A par-

- (a) De his v. Hild. Antiq. Rom. verb. Hamaxiæa. (b) Conf. in correctionem textuum invehentes Hillig. ad Don. l. 8. c. 11. lit. L. Hahn. ad Wes. t. de J. & J. verb. in Digestorum. Joh. Rob. Animadv. Jur. Civ. Epist. proem. Notatu digna sunt Duarenii verba in pari argumento usurpata ad *l. 28. ff. de leg. 1.* Fuit tempus cum ita legerem, ut æque (pro neque) falcidia hoc minuat, ratio expeditissima nodi cujusque dissolvendi. Sed tutum non est his conjecturis indulgere, quæ mihi adhuc Juveni magis arriserunt, quam hoc tempore. Tunc mihi videbar ingeniosus, cum quid tale comminisci poteram. Nunc longo usu edoctus sentio quam periculosa res sit. Non est hoc nodos dissolvere, sed gladio secare. (c) Const. Tanta §. 15. C. d. V. J. E.

A parte remittitur jusjurandum (d.) quando deferens, cum paratus esset adversarius jurare, gratiam ei facit contentus voluntate suscepti jurisjurandi. *l. 6. ff. de jurej.* Hæc ratione neque Parenti neque Patrono remittitur jusjurandum calumniæ. *d. l. 34. §. 4.* Quippe cujus exactio (quam d. §. respicit) cum ob suspicionem calumniæ fiat pietatemque Parentibus ac Patronis debitum offendat, liberis & libertis interdicta est; Jure itaque deferendi juramentum destituti illius gratiam facere nequeunt, quia vinculi non existentis nulla est dissolutio. In quo conciliandi modo animum fortissimè confirmat primò lectionis Florentinæ indubitata certitudo, à qua recedere valde periculosum est, cum omnes reliquæ Pandectarum editiones ad Florentinæ lectionis fidem non aliter atque Heliotropium ad Solem convertantur. Insignis enim hic Pandectarum Thesaurus qui Pisanis in remunerationem belli truculentissimi cesit, (e) inter Jctos omni encomio majores (Bartolum & Baldum puto) arbitriovices gesit, (f) & Doctorum infreni emendandi corrigendique studio frenum injecit. Secundo Florentinæ lectioni suffragantur libri Βασιλικῶν, in quos *l. 34. §. 4.* Sensus ita relatus est; Ο ἐπάγων πρώτῃ ὁμνυσι τὸν περὶ συκοφαντίας ἐὰν ἀπαιτηθῆ. Ὅν ἐν ὁμνυσι πατῆρ ἢ πάτρων. Qui jusjurandum defert, prior de calumnia jurat, si exigatur, quod non præstat Pater aut Patronus; ut proinde eandem fuisse Ulpiani sententiam, quæ nostra est, haud difficulter hinc colligi possit; præcipuè quia non omninò improbable est, teste Suaresio, illustrem Thallelaum, cuius meminit Justinianus, (g) Digesta vivò adhuc Imperatore κατὰ πόδα Græcè vertisse plurimaque ex ea versione in Libros βασιλικῶν, si non κατὰ τὸ ῥητὸν κατὰ τὴν διάνοιαν tamen, relata esse. (h.) Accedit quod hæc legis conciliatio viam dissentiendi ab Observantia (i) præcludit, adeoque cæteris præferri meretur. Jam reliquum est ut dissentientibus, quantum quidem per hanc pagellæ angustiam licet, satisfiat, horum verò alii correctione, alii verborum interpretatione, alii distinctione controversiam expediunt. Qui ad correctionis medelam confugiunt Holoandrinæ lectioni inhærent pro vocabulo neque repetito verbum *æque ac* substituentes, (k) & libros Βασιλικῶν in subsidium vocantes; verum quia Pandectarum Norica hæc editio ad exemplar Florentinum emendata est (l) absurdum foret transfusum Authenticum majorem mereri fidem. Cæterum in libros Βασιλικῶν mentem Ulpiani saltem relata esse collatio verborum perspicuè ostendit, quæ tantum abest, ut à nobis divortium faciant, ut potius nostræ Sententiæ patrociniū suscipiant. Interpretatione vocabuli remittitur

- lectio-
- (d) Possè juramentum calumniæ speciale à partibus remitti docet *a. l. 5. §. 14. ff. de Nov. op. nunc. l. 6. §. 2. ff. de Ed. j. l. 29. C. de Pact. Hill. ad Donell. l. 24. c. 13. l. c.* (e) v. Gothof. *Histor. Jur. c. 9. verb. Sed* (f) Hahn. *ad W. t. de Just. & J. verb. In Digestorum. Arthur. Duck de Auth. Jur. Civ. l. 1. c. 4. th. 10.* (g) v. *inscriptio Constitutionis omnem de Ration. & meth. Jur. doc.* (h) v. *Svaresii Notitia Basilicorum ad Urbanum VIII. Pontific. verb. Digesta. Editioni Fabrot præmissa j. Tab. Rac. Crim. ad L. 47. t. 7. §. 15.* (i) v. *præjud. ap. Carpz. P. 1. C. 12. d. 24. Martini. Comm. for. T. 18. n. 17. aliosque; observantiæ a. quàm religiose inhærendum sit v. Carpz. Dec. 127. n. 20.* (k) uti *Borckolt. Tr. de Jurej. c. 7. n. 23. Don. l. 24. c. 13. l. d. Obrecht. part. 1. D. 32. th. 18. Ant. Perez. ad Cod. l. 2. t. 59. n. 4. Berl. Part. 1. Concl. 31. n. 9. Duaren. ad Tit. de jurejur. c. 3. Carpz. d. d. 24. Rittersh. ad. N. part. 9. c. 19. n. 10.* (l) v. *Arthur. Duck c. th. 10.*

FK III 452

lectioni Florentinae subvenit Mejerus in Collegio Argentoratensi, (m) cui æqvissimò accederemus animò dummodo satis congrua esset; hic verò remissionis verbo sensum contra immisionis affingit, sed ea explicatio (quod pace tanti Viri dixerim) usui juris haudquaquam convenit. Infelicius distingvit Fornerus inter juramentum calumniae ob rem præstitum, de quo accipit l. 34. & ob personam susceptum, de quo intelligit. l. 8. §. 5. ff. *Qui falsis d. cog.* at ea distinctio paucissimorum meruit assensum, cum omne juramentum calumniae ad suspicionem malitiæ à personam removendam præstetur. (n.) Verum enim verò non abutar tuâ, Lector Honoratissime, patientiâ, satis mihi factum esse ratus si vel assensum vel æqvum de hâc tenui meditatione iudicium à Te impetravero, Nam ut ad institutum perveniat oratio, sobriam Juris Civilis interpretationem hætenus strenuè sectatisunt Viri Juvenes Nobilissimi numero sex, qui cum hætenus privatis velitationibus Jurisprudentiam non simulatam excolere cœperint, in publicum prodire studiorumque rationem benevolis Censoribus reddere decreverunt, quorum laudatissimo desiderio deesse merito mihi religio fuit; proinde diversis duodecim vicibus Disputationes XXV. Schnobelianas ad Digesta ventilandas suscipient eo ordine, quem cuiq; fors, citra præjudicium, dedit

Dn. Ditericus à Miltiz, Eqves Misn. V. VI. XXI. XXII.

Dn. Andreas Benjamin Pratorius, Liffens. Misn. I. II. VII. VIII.

Dn. Johannes Gottfried Meley, Delitio Misn. III. IV. XIII. XIV.

Dn. Anthonius Güntherus Kercker, Oldenb. IX. X. XV. XVI.

Dn. Reinhardus Jonathan Unruh, Ileb. XI. XII. XV. XVIII.

Dr. Johannes Petrus Schröter, Jen. XIX. XX. XXIII. XXIV. XXV.

Non tantum verò Respondentium sed etiam Opponentium partes alternatim gerent, suamque eruditionem & industriam Nobilissimis Dominis Commilitonibus suis commendatum probatumque ibunt. Summo itaque opere Generosos atque Nobilissimos Dominos Studiosos exoratos cupio, ut pro eo, quo feruntur in cordatos Juris Cultores, affectu frequenti suâ præsentia Actus Disputatorios (qui solenni more indicati die Sabbathi horis matutinis habebuntur) condecorare haud graventur, quem favorem & Præfidis & Respondentium officio functuri ut gratò quovis officiorum genere demerantur nunquam non enixè allaborabunt.

(m) Mejerus Colleg. Arg. t. de Jurejur. th. 16. (n) v. Gothofr. ad l. 34. §. 4. Cujac. o. O. 37. Bach. V. 1. Disp. 21. th. 4 l. c. lex. 14. ff. de jurej. de juramento litis decisorio non calumniae loquitur.



Wax

MU.

FK.131
10

PK
452

ad locum Nepian L. 34. 8. 4


I. N. J.

X 212235A

Indultu
Magnifici Jctor
in Academia L
ad
Ventilationem
DISPUTATIO
JURIDIC

Quib
Vir Excellen
DN. JOACHIMUS SC
potiores Pandectarur
Complexu
cupidam legum
peramanter
LÜDERUS MENCK

Literis JOHANN



ccc. 39.